

Vc

3112









Λόγος πανηγυρικός

ILLVSTRISSI-

MÆ STIRPIS SAXONICÆ:

ET PRO NOVA NOVI PRIN-

cipis, Serenissimi ac Potentif-

simi Domini,

DN. CHRISTIANI II.

DVCIS SAXONIÆ, SACRI ROMANI

Imp. Archimarschalli & Electoris, Landgravii

Turingiæ, Marchionis Misniæ, Burg-

gravii Magdeburgensis &c;

Dn. nostri clemen-

tissimi,

gubernatione felicissima

ΕΥΧΑΡΙΣΤΙΚΗ ΕΥΧΗ

Authore

GEORGIO SCHALICIO, Cizensi:

Ecclesiole Thibensis Diacono.



VVITEBERGAE

Typis Gronenbergianis

M. D. CI.

Pou Vc 3172



ILLVSTRISSIMO AC PO-

tentissimo Principi,

D N. CHRISTIANO II.

Electori Saxoniae &c. Domi-

no suo clementis: S.



rodunt, Illustrissime

ac potentissime Princeps, Do-

mine clementissime, historiarum

monimenta, quod cum Artaxer-

xes ad regni gubernacula eve-

ctus, ditionem suam lustraret,

Et, pro more gentis illius, omnes

certatim subditi muneribus suam, erga novum re-

gem, cum gratitudinem, tum subjectionem decla-

rarent; Rusticus quidam, omnium egenus, nihil sibi

esse, quod daret, animadvertens, ad proximū fluvii-

um accurrerit, Et utraq; manu aquis impletâ, alios,

dona splendidissima ostentantes, consecutus, aquam

regi obtulerit. Quo insolenti gratitudinis spectacu-

lo Rex adeo delectatus est, ut rustico mille Daricos,

una cum cantharo aureo, ne gratitudine victus vi-

deretur, donarit. Hujus ego lepidissime historiola

memoria excitatus, cum Electoratus Saxonici, Il-

lustris-

BIBLIOTHECA
POMERANICA

126

Illustriss: Celsitudini V. insignia collata esse nunci-
aretur, chartaceum hoc, quoniam aliud in promptis
non erat inopi, munusculum, carmen duntaxat rude
& exangue, de antiquissima stirpis Saxonica digni-
tate; annexa gratiarum actione pro novo Ill. Cel-
situdinis V. imperio, proque felici & fausta ejusdem
gubernatione voto ardentissimo, offerendum censui.
Nihil dubitans, voluntatem hanc (licet viribus
destitutam) & gratissimi, subjectissimique animi
testificationem, V. non minus Celsitudini Illustriss.
quam Artaxerxi factum illud rustici probatum
iri. Id quod etiam ea, qua par est, observantia rogo.
Hisc me V. Celsitudinis Illust. patrocinio: Vestram
verò Cels. Illust. divinae Praepotentis Dei tutela com-
mendans; subjectissimè colens, eidemque Davidis
pietatem, Salomonis prudentiam, Hiskie felicitate-
tem, Alexandri potentiam, Samsonis fortitudinem,
Mathusale longevitatem, ex inti-
mis optans precordiis.

I. C. V.

Humil: & subjectiss.

Georgius Schalicius.



N meditor magnum, magno de stemmate,
carmen,
Illustris sobolis V Vitikindi è sanguine na-
tæ;

Et notæ in terris passim, & super æthera notæ:
Tu Iova, qui fragilem fulcis, qui dives egenum
Ditas, da fragili vires, da robora Musæ,
Possit ut hoc pleno cœptum diffundere cornu.

Tempus erat, sublimis ubi sua nulla ferebat,
Priscis terrarum populis, mandata Potestas,
Nemo dabat leges, terrebat fulmine nemo,
Nemo minis, gladióve reos, igníve, rotáve,
Terrifica aut simili plectebat morte Monarcha:
Omnia sed placidè fieri, castéque solebant,
Omnia divinæ atque humanæ congrua legi
Facta dabant homines, & respondentia iusto;
Imperium summum penes extabátque parentes.

Ast ubi, cum mundo immundo, vesana libido,
Contemptus Superúm crevit, legúmque parentum
Vivida vis periit, morum censura bonorum
Vanuit, ac nervo virtutis turpiter omni
Disrupto, turpis terra est effecta malorum
Lerna; Deus, solo nutu qui sidera torquet,
Et quæcunque homines dicunt, faciuntve, tuetur;
Imposuit finem perversis moribus: ægro,
Et iam lapsuro, medicamina idonea mundo
Miscuit, exarnians Nimrodum, Numine dio,
(Ex quo Saturnum confinxit prisca vetustas)

Vt

Vt malè concinno distortos ordine cives
In terris regeret, leges proponeret, æquum
Armis alstrueret, debellarétque superbos.

Non secus ac fortis venator retia pansa
Extendit, cogitque feras, urgétque, capítque,
Et captis bellum intentat, lethúmque nefandum,
Vt sua mortali generi stet sarta Potestas:

Sic quoque Nimrodus summa vi corripit orbem,
Omnia subjiciens pedibus: quin Marte cruento
Omnia perturbans, primum se ferre Tyrannum
Cogit, & haud tantis (facili Fato) excidit ausis,
Fortiter at fortis totum sibi subjugat orbem.

Hic pater, hic radix, hic regum est fertilis arbor,
Quos tulit hæc tellus, vidit Sol, nutriit aër!

Quorum magna licèt sit turba, sit ampla propago:
Attamen hos inter cunctos V Vitikindus amcenum
Iure locum meritus, magnos sibi poscit honores;
Et velut æthereos inter Sol emicat ignes,
Magnates inter lucet sic lumine Saxo.

Huic pietas curæ est, huic cordi est inclyta virtus,
Huic teneræ leges, huic sancti regula justæ
Arrident: atrum clypei hinc Equus excipit albus.

Magna quidem Iosux pietas fuit, inclyta virtus:
Iesseidæ nati nota est sapientia mundo;
Non dubia est Cyri virtus, pietásque, fidésque;
Pellæi juvenis, cum re, tum nomine Magni,
Gesta replent magno spatiosum murmure mundû;
Sed V Vitikindiacæ stirpis plus eminent ultrà

A 3

Cum

Cum pietate fides, virtus, sapientia, fama;
Eminet, ac nebulae veluti radiantia Solis
Lumina praepediunt, aliorum laudibus obstat.

*Fridericus
Sapiens.*

Quod mare? quæ tellus FRIDERICUM dissita nescit?
Quem celebris celebrem fecit sapientia toto
Orbe; sacri studium, favor & custodia verbi
Immortale cui nomen donavit, & alma
Castalidum mater, miro, fundata cis Albim
Quæ fuit, imperio Ducis, auxilioque Tonantis,
Et Procerum magno sumtu ac servata favore.

Hæctua defendit pia dogmata, magne Lutheræ;
Hæc tibi contrivit stygium caput, impie Papa;
Hæc pede calcavit forti diadema superbum;
Hæc varias fraudes, mendacia turpia, turpes
Eruit errores; cœlestis pulchra columna
Perstitit hæc vocis, sancti firma anchora verbi!

Nam velut in tenebris dira & caligine rerum,
Sæva ubi tempestas fremit, & nimbo la procella
Perstrepit; occulitur laternâ lumen opacâ:
Sic quoque Cimmeriis Papatus tecta tenebris,
Et Satanæ stygias contra, defensa, procellas,
Lux sacra, cœlestis doctrinæ, cincta fidei
Tutelâ Illustris FRIDERICI Principis: unde
In mare dum fluvii tendent; dum montibus altis
Ligna dabunt umbras; cœlum dum sidera pascet;
Ingens semper honos, nomen, laudésq; manebunt!

*Johannes
Constans.*

Non minùs & CONSTANS, claro cognomine IANUS,
Laudibus excellit, forti qui pectore Christum

Confessus



Confessus, subiit vitæ discrimina multa,
Et varios casus, varia exhausitque pericla.

Cujus signa sui Fati secum attulit infans:

Aurea nascentis nam crux (ut fama susurrat)
Per tenerum pinxit dorsum: crucis omen adultus
Quam subiturus erat tectum: sed pectore firmo
Victurus, vegetâ spe damna ferenda levando.
Nam veluti durus scopulus non frangitur ulla
Vi, neque mollitur saxum intractabile ferro:
Sic animo invicto mansit V Vitikindius heros,
Nec prece, nec pretio, nec Marte, nec arte, minisve
Vincier, à Christi vel se divellier ara
Passus, at in vero verbóque fidéque misellæ
Conficiens vitæ cursum, cœlestia cœpit
Gaudia, quæ celeris non claudit terminus ævi.
O pietas! ô rara fides! ô nobile pectus!
O te felicem, fueris si postera proles
Æmula; devictis Fatis ô tērque beatam!

MAURITIUS sequitur, verè Germanus Achilles, *Mauritius*
Pro patriis aris fortis qui pectus in hostem
Protulit, ac viridem vitæ pugnando coronam
Promeritus, posuit speculum virtutis a vitæ.

Excipit AUGUSTUS cùm re, tum nomine, fratrem, *Augustus.*
Munificus patriæ Pater, assertorque severus
Iustitiæ, pacis fautor; quâ regna quieta
Durant; quâ sacra templa vigent; quâ publica floret
Res; lepidum retinent quâ agri, tellusque vigorem;
Quâ generi humano majus nihil; utilius nil;

A 4

Nil

Nil melius; quàm nil pretiosius ipse polito
Dædalus ingenio finget, vel pulchrius acri
Iudicii sensu depromet Apollo sagacis.

Aurea tunc verè Saturni secla vigebant:
De quibus exundant passim figmenta Sophorum.
Tunc etenim passis velis, sincera, triumphans,
Religio ingressa est; Astræa polúmque perosa
In terras rediit, cunctis gratissima rebus.
Et veluti quondam, Romani sceptrā tenente
Imperii AUGUSTO, toti pax candida mundo est
Reddita: Sic quoq; grata quies hoc Principe nostris
Pacifico affulsit muris: augmentaque magna
Ordinibus cunctis peperit. Sub tegmine parvæ
Arboris, ut volucres umbram, victumque capessunt,
Et contra accipitris crudelis dantur acutos
Vngues illæxæ, & modulantes æthera mulcent:
Sic gelidis pulchræ AUGUSTI fuit arboris umbris
Subdita tuta manus, jucundâ pace relectâ,
Et furias contra hostiles munita, canendo
Quæreret ut victum, ac ludendo commoda vitæ.
Laudibus eximiis Rex commendatur Hebræus
Iosaphat, insigni pietate, fidéque, coruscus:
Vera Dei veri qui dogmata amavit, obortis
Errorum & tenebris exemit vindice dextra.
Iudicii egregias leges præscripsit, & almo
Otia subjectis sceptro gratissima fecit.

Sed (sine si invidiâ verum dictare licebit)
Quis negat æquali pietate, fidéque fuisse

Conspicu-

Conspicuum Procerem Germanum? nemo: sed ipse
Livor edax dotes maiores, laudibus effert,
Principis, Ambrosiá vivaci & nectare digni.

At licet infandis Parcarum pectora telis
Saucius occubuit, cœlestia regna revisens:
Attamen æqualem, divino munere, natum
Sustulit, eximio eximii cui lampada regni
Traderet, à Christi gestantem nomine nomen:

Samsonis ingenio forti: pietate Davidis
Sincera: Iosux commisso pro grege cura
Pervigili: docto Salomonis pectore clarum.

Quem nisi Fata nimis properè per funera raptum,
Ad superas sedes vexissent, nobile gentes

Nomen ad Hesperias simul ac misisset Eoas.

Namque ut Alexander vernanti ætatis in usu

Occidit, ac rerum magnarum flore virenti:

Haud ita dissimilem similis fortuna secuta est.

O fragilem vitam! ô immitia fata! misellam

O miseri mundi faciem, Sortemque fugacem,

Instabilis Lunæ variantem ad cornua vultum!

Sed veluti Phœnix sese ipse reseminat ales:

Masculæo partu triplici, post funera, Princeps

Sic se immortalæ dedit Illustrissimus. Horum

CHRISTIANUS, natu qui maximus, ore parentem

Atque animo referens. (Postquam laudabilis heros,

FRIDRICUS tutor VVILHELMUS, tempore justo,

Imperii, plus quàm bene gesti, celsit habenis;

Cui meritas laudes, gratésque rependere dignas

*Christia-
nus I.*

*Fridericus
VVilhelmus.*

A 5

Non

Non opis est nostræ; Iova si pia facta piorum
Respicit, ut justis certè respectat ocellis,
Præmia digna ferat, votis ardentibus oro;
Hic (inquam) placidi regni dum ponit habenas
CHRISTIANUS, nutu divini Numinis, hæres
Sufficitur verus; magnum sumendo Ducatus
Saxonici clavum; sic majestatem jubente
Cæsarea, & Procerum magna applaudente corona;
Ingenio nulli, nulli pietate secundus,
Principibus Princeps, cui nemo, è semine cretus
Humano, donis, pulchræ vel munere formæ,
Vel temerè magnis contendere viribus audet.
O celebrem! ô faustam lucem! ô lætissima Fata!
Obona, quæ tantum retulerunt secula regem!
Felices, talem qui progenuere, parentes!

Ergo agite exultent cœlorum exercitus omnis:
Lætitiâ saliant montes: rapidissimus Albis
Efferat undosum caput: ipse volubilis æther
Dicat io, & lætus fundat nova gaudia: tota
Erigat exultans molles Germania cristas:
Erigat exultans trepidis præcordia fibris
Subdita turba: novum gravido de pectore carmen
Eructando canat regi, qui, Numine Trino,
Numen idem, reges terrenaque regna gubernat;
Et veluti figulus confringit & efficit ollas;
Sic aliis politis, alios clementer ad alta
Collocat imperii reges fastigia. Namque
Fato servantur: Fato mutantur honores

egnorum

Regnorum: & Fato vibrant sua sceptrā potentes.
Huic igitur summo regum, nova carmina, Regi,
Subdita turba, novo pro Principe corde sereno
Concinat, & regni felicia Fata futuri
Assiduis poscat precibus: Voce ipse præibo:
O Deus omnipotens, pater alme, suprema Potestas,
Cujus regna manus servat; clementia reges
Constituit, nutu sine cujus nulla potestas
Celsior existit; grato quas pectore grates
Concipimus, plenis lingua effert concita buccis:
Quòd novus hic nostris succedit sedibus hæres.
Unanimes etiam te supplice voce rogamus,
Ut veluti quondam Salomonem Dextera *textit*;
Rexit & immenso Bonitas immensa favore;
Flexit & ardorem juvenilem, Numine sancto:
Sic *tegat* Illustrem, *regat* alma potentia, Regem;
Gratia sic mentem juvenilem *Flamine flectat*;
Flamine justitiæ; pietatis Flamine; recti
Flamine consilii: virtutis Flamine magnæ:
Ut tua sacra colat modò, falso errore relicto;
Ut pietas, ut vera fides, ceu plantula, surgat:
Ut patrias servet leges, patriosque penates;
Ut celeres sanctæ Altrææ ferat obviam gressus
Candida pax, vero detque oscula dulcia amore;
Ut leges exornet lætos uberrima campos,
Et quacunque ferunt cives vestigia, abundant.

Tunc jucunda novo mortales undique plausu,
Iubila sustollent; pinguis tunc imbuet aras

Victima

Victima; tunc regni haud finis sperabitur ullus.
Antè etenim celeres pascentur in æthere cervi;
Antè graves undæ gelidos in litore pisces
Destituent: Elephas tardus pernibus Alcen
Antè levem pedibus superabit; lucidus antè
Deseret astringerum Phœbus, vaga Lunaq; cœlum;
Saxonix sceptrum felix quàm nobile Rector
Deficiat. Rata sint hæc, ô Rex summe, precamur!

Ἐνοδίσιστος,

GLoria Cœlesti regi, qVI sCeptra tVetVr;
SaXoniæ Is sCeptrVM serVet, aLâtqVe CapVt.



n;

!

Ve.





Pon Vc 3112

ULB Halle

3

003 294 021





ILLV
MÆ STIR

ET PRO M
cipis, Se

DN. CH
DVCIS SAXON
Imp. Archimarsch
Turingiæ, M
gravii M
Dn.

GEORGIO S
Ecclesiola

Typis C



I.
I.
NI

